PARS I.

S. Scripturæ Notio, Exsistentia, Divisio.

I.

Adcurata S. Scripturæ Notio ceteris circa eam instituendis quæstionibus merito est præmittenda; *omnis enim*, sapientissime monet Tullius (a), *quæ a ratione suscipitur de re aliqua institutio, debet a definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur.* Omissis variis, queis tum olim apud Hebræos, tum deinceps apud Græcos S. Codex adpellari consuevit, nominibus, S. Scriptura recte definitur: *Verbum Dei a scriptoribus divinitus inspiratis literis signatum.* Vocibus *Verbum Dei* locutio divina, seu revelatio hominibus a Deo facta denotatur, sicque differt Scriptura S. a decisionibus conciliorum, etiam generalium, quæ proprie non sunt verbum Dei, sed sensum ejus declarant, & ad credendum fidelibus sub anathematis pœna proponunt; convenit vero cum traditione divina; contendit quidem *Joh. Sal. Semler* (b) nomine *verbi divini* haud venire, nisi quod moribus informandis servire potest, ac propterea e canone librorum divinorum eos expunc-

tos

(a) De Off. L. 1. c. 2. (b) In seiner Abhandlung von freier Untersuchung des Canon, 4. Th. Halle 1771. — 75.

tos vult, qui mere hiſtorici ſunt, nec continent de facto quidquam utilitatis pro inſtruendis ac reformandis moribus: aſt nec ipſis Proteſtantibus neotericа hæc ac heteroclita *Semleri* doctrina adriſit, ſed potius damnationis ſententiam promeruit penes ſat multos Doctores *Jenæ*, *Göttingæ*, *Tubingæ*, *Hamburgi* &c. Particulis ceteris, quæ differentiæ, ut ſcholæ loquuntur, locum tenent, diſtinguitur Script. S. a traditione, etiam in Scripturam quomodocunque, non ab hominibus divinitus inſpiratis, relata; non enim omne verbum Dei, ut ſcite obſervat *Bonfrerius*, (c) quod in libros, vel ſcripta quomodocunque relatum, idcirco Scriptura S. adpellanda; eoquod multa, quæ ab Apoſtolis, Prophetis viva voce dicebantur, poterant ab aliis literis conſignari memoriæ cauſa; ac reipſa traditiones divinæ, aliaque revelata variis in libris exſtant ſive Patrum, ſive Doctorum, & de iisdem diſſeritur, nec tamen Scripturæ S. nomine veniunt: ſed ea ſolummodo, quæ a ſcriptoribus Theopneuſtis in ſcripturam ſunt relata, juxta illud Apoſt. II. Tim. III. 16: *Omnis ſcriptura divinitus inſpirata* &c. Et II. Pet. I. 22. *Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines.*

(c) Proloq. C, III, Sect. 1.

Not. 1. Definitioni adductæ addunt aliqui: *Et ab Ecclesia, ut tale propositum:* sed id minime ad intrinsecam S. Scripturæ essentiam pertinere, quis non videt? — 2. Alii ob verba Ex. XXIV. 12, & XXXIV. 1. disjunctive efferendum putant: *vel a se, vel a scriptoribus* &c.: sed nec primas, nec secundas tabulas Deum per se scripsisse, ex Act. VII. 53. 38. Gal. III. 19. Ex. XXXIV. 27. colligitur.

II.

Celebris hic loci agitari solet quæstio, num quoque omnia, quæ in scripturis divinis continentur, sint revelata, vel saltim inspirata. Resolutioni præmittendum ex doctissimo P. Collet (d), tria in scripturis divinis esse distinguenda: *Res*, seu sententias verbis expressas; *Verba*, seu voces ipsas, queis sensus exprimitur; *Stylum*, sive verborum ordinem, seriem, structuram: triplicem pariter discernendam esse divini spiritus operationem, *Revelationem* videlicet proprie sumptam, quæ est rei antea ignotæ facta divinitus manifestatio; *Inspirationem*, qua Deus quempiam movet ad scribendum, & ad delectum eorum, quæ vult, ut ab eo scribantur; *Adsistentiam* denique, seu spe-

(d) Instit. Theol. Schol. edit. Lugd. Tom. I. pag. 18. & seqq.

ſpecialem directionem, qua fit, ut author ſacer nil unquam falſi ſcribere poſſit. His prælibatis reſpondetur, ſpecialem quidem adſiſtentiam ad Scripturæ S. notionem non ſubficere; cum alioquin & Canones Eccleſiæ divina forent ſcriptura: revelationem tamen proprie ſumptam ne quoad ſententias quidem ubique eſſe admittendam; quia hæc in iis ſaltim, quæ Scriptores Ss. propriis inſpexerunt oculis, fuiſſet ſupervacanea, &, ut vulgare fert adagium, ſicut Deus non deficit in neceſſariis, ita non redundat in ſuperfluis: ſupereſt proinde, ut dicatur, veram & proprie dictam inſpirationem ad Scripturæ S. notionem ad minus requiri, atque omnia ea, quæ in libris divinis leguntur, etiam hiſtorica, divinitus ſaltim inſpirata eſſe, quod & ulterius ſtabiliri poteſt ex S. S. Scripturis ipſis. I. Pet. 1. II. Tom. III. 16. Luc. I. 7. & ex conſtanti S.S. P P. traditione. Verborum nihilominus delectum, eorumque ordinem, altiſſima ſi excipiantur myſteria, prophetiæ, aliaque hominis captum longe ſuperantia, S. Scriptoris ingenio & indoli fuiſſe relictum, perſuadent 1mo diverſitas, qua Scriptores Ss. rem eandem aliis atque aliis verbis retulerunt, 2do divina authoritas, qua valent fideles Scripturæ autographæ verſiones, ut *Vulgata latina*,

quo

quo tamen idiomate nunquam Ss. Scriptores fuerunt usi; 3tio authoritas S.S. P.P. Unum audire lubeat S. Hieronymum (e): *Alii syllabas aucupentur, tu quære sententias... Obtrectatores mei quærant, & intelligant, non verba in Scripturis considerandа, sed sensus.* Et (f): *Huic unam lucubrationem dedi, magis sensum e sensu, quam verbum e verbo transferens.*

Not. 1. Studio omissa est *adprobatio consequens*, qua Deus scriptum aliquod opera mere humana elaboratum, adoptaret ut suum; id siquidem proprie Scripturam S. dici non posse, patet; cum neque mediate, neque immediatè per se vel per alium Deus id scripsisse, dicendus foret. 2. Adsertæ inspirationi non obstant verba Apostoli I. Cor. VII. 12. *Ceteris ego dico, non Dominus.* In Bibliis siquidem optime impressis post ea verba major reperitur punctatio, quæ designat, hæc ad antecedentia esse referenda, vultque S. Paulus non divinam a se removere inspirationem, sed aperire, quod ea, quæ prius dixerat, non ut divinum proposuerit præceptum, sed merum consilium; unde idem ibid. 25. *De virginibus autem præceptum domini non habeo; consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis.* 3. Quod dubitationem quandoque de eo, quod scribunt, prodant Ss. Scriptores, id ideo factum, docente S. Hier. (g), *ut liberum hominis*

(e) Epist. ad Pammachium. (f) Præf. in L. Judith. (g) In Ezech. II.

minis monſtretur arbitrium. Et S. Aug. (h): *Cum dubitatione poſitum eſt, non ſecundum viſionem Prophetæ, ſed eos ipſos, qui monentur.* 4. S. Auguſtinus (i) ſcribens: *Ego exſiſtimo, etiam ipſos, quibus ea, quæ in authoritate Religionis eſſe deberent, S. utique Spiritus revelabat, alia ſicut homines hiſtorica diligentia, alia ſicut Prophetas inſpiratione divina ſcribere potuiſſe*: rem quæſtionatam non tangit, ſed de libris in canonem non receptis, quorum tamen in libris Paralipomenon (k) fit mentio, loquitur, cauſamque, cur canoni non inſint, verbis citatis aperit.

III.

A notione Scripturæ S., ad ejus exſiſtentiam comprobandam, progrediendum. Poſſibilem eſſe revelationem tum generatim adceptam, tum veritatum naturalium, tum & ſupernaturalium, quisquis negat, repugnantiam oſtendat, neceſſe eſt, quam adſignare nemo valuit hucusque, nec valebit unquam: eam ſupervacaneam, inutilem, ac idcirco indignam Deo, & impoſſibilem eſſe, clamitet Theiſta; ſed, eſto etiam, olim, natura adhuc integra, ſe ſola ſubficere potuerit lex naturæ ad perfecte informandum hominem: ut tamen in præſenti conditione depravatæ

(h) In Ps. II. (i) L. 17. Civ. c. 38. (k) I. Par. XXIX. item IX. XIII. XX. XXXI.

vatæ naturæ, in qua tanta est difficultas inveniendi veri, exercendæque virtutis, per facultates naturales innotescit homini, se sola adeo subficere ad informandum rite hominem, ut inutilis sit alia revelatio divina, ab omnium sæculorum, hominumque etiam sapientissimorum experientia, confessioneque abhorret, qua constat, nullum unquam omnes ad perfectam vitæ institutionem necessarias veritates adsecutum, nullumque fuisse vel ipsos inter Philosophos, qui universam de Deo, & moribus doctrinam complexus, omnia vitæ & morum præcepta tradiderit, imo qui veris falsissima, summeque a recta ratione aberrantia non miscuerit. *Cum multæ res*, inquit Cicero (l) *in Philosophia nequaquam adhuc explicata sint; tum perdifficilis, Brute, quod tu minime ignoras, & perobscura quæstio est de natura Deorum, quæ & ad agnitionem animi pulcherrima est, & ad moderandam religionem necessaria. De qua tam variæ sunt doctissimorum hominum, tamque discrepantes sententiæ.* Plato (m): *Mihi semper visum est, & etiam nunc videtur, omnes artes non admodum difficiles; hominum vero ad rectam vitam institutionem longe difficillimam.* Silentio præterire liceat errores fædissimos, queis Philosophorum Prin-

(l) De nat. Deor. imit. (m) In Epinom.

Principes, Plato, Aristoteles, Zeno, Seneca, &c. officiorum vitæ, & religionis summam conspurcarunt. Revelationem denique mysteriorum supra hominis captum positorum non inutilem esse, liquet inde; quia hominem plurimum perficit, redditque sapientiorem in rebus, quas ratione non potest adsequi; quia ex ampliore Naturæ divinæ cognitione, suæque conditionis, novis excitatur ad pietatem impulsibus; quia hæc revelatio novum nobis aperit divinæ providentiæ ordinem, unde relationes novæ Deum inter & hominem, & nova hujus officia, citra impietatem nequaquam spernenda, enascuntur. Confr. Bernardin. Bauer (n) item Abb. Nonnotte (o).

Revelationem porro non modo possibilem, sed & factam esse, contra *Herbertum de Cherbury* (p), *Tindal* (q), *Rousseavium* (r), *Voltairium* (s), & alios ex supremi Numinis bonitate, ac providentia deducitur, quæ postulat, ut Deus rationi naturali sibi relictæ, nec ad recte sen-

(n) Theol. Dogm. Tom. I. Sect. II. arr. 1. (o) Philosophisches Lexikon der Religion. 2. Band. V. Offenbarung. und V. Religion. (p) L. de veritate. (q) Christianity as old, as the Creation. (r) Catechisme de l'honnete homme. (s) Henriade p. 312.

ſentiendum, nec ad bene vivendum ſufficienti, revelationis medio ſuccurrerit. Potuit autem Deus revelationes iſtas homini communicare aut ſolius traditionis ope, aut in libris ipſo inſpirante exaratis; neutrum quid abſurdi, neutrum contradictionem includit: poſſibilis ergo eſt & Scriptura Divina, quam exſiſtere modo comprobant libri exſtantes genuini, non niſi vera continentes, ac divini. Moſis ac quatuor Evangeliſtarum libros hic præ ceteris in medium producere juvat; eos ſiquidem primitus ab iis authoribus, queis modo tribuuntur, eſſe conſcriptos, ex perpetua, maximeque ſolemni fluit traditione: Moſi Pentateuchum adſcribit numeroſa plebs judæorum, etſi diro ſchismate poſt Salomonis tempora diviſorum, gens Samaritanorum judæis maxime infenſorum, ac cætus Chriſtianorum; ſubfragantur ſcriptores Ethnici: Manetho a Joſepho (t) Philocorus Athenienſis a Juſtino (u) Polemon ab eodem, Eupolemus ab Alex. Polyhiſt. memorati; concinit Juvenalis (w): *Tradidit arcano quodcunque volumine Moſes.* Addi his poſſent Beroſus, Plutarchus, Lucianus, Artabanus, & alii. Quatuor Evangelia notis Evangeliſtis conſtanter

(t) L. 1. adv. App. (u) Hortat. ad gent. (w) Satyr. 14.

ſtanter adſcripſere Chriſtiani, neque etiam Chriſtiani nominis hoſtes Judæi æque ac Ethnici, Celſus, Porphyrius, Julianus apoſtata &c., etſi varia Chriſtianis adfingere crimina conati fuerint, eos quoad hoc punctum impugnare auſi ſunt. Edic, amabo! num pro ſcriptis Julii Cæſaris, Strabonis, Ciceronis &c. tam illuſtria proferre poteris teſtimonia? Libri memorati ſumma ſemper cura, vigilantia, & religione adſervabantur, normam vitæ civilis æque ac domeſticæ conſtituebant, in manibus plurimorum verſabantur: proin & incorrupti ad nos pervenire debuerunt; & nonne antiquiſſimæ homiliæ S.S. P.P. primorum Eccleſiæ ſæculorum produnt, eandem, quæ olim, in Evangeliis adhuc contineri doctrinam? — Vera eſſe ea, quæ in libris iſtis leguntur, ſumme certum evadit, tum ex eo, quod authores eorum de fraude minime videri poſſint ſuſpecti, cum nec fallere voluerint, nec potuerint, ac eos ipſos informandos ſuſceperint, qui magna ex parte rerum geſtarum teſtes erant oculati; tum quod doctrinam pandant carni & ſanguini haud quaquam blandientem ab innumera tamen hominum non indoctorum modo & ignobilium, ſed & eruditorum & nobilium multitudine adoptatam, ac non raro bonorum, vitæ & ſanguinis

effu-

effusione adsertam: tum quod signa & miracula plurima, pluribus spectantibus, publice, in confirmationem factorum & doctrinæ patrata, recensent. — Ex veritate fluit & librorum istorum divinitas, non raro expressis verbis ab authoribus adfirmata, quam stabiliunt ulterius prædictiones certissimæ, & eventu comprobatæ rerum ab humana cognitione remotissimarum, dogmata profundissima, Deo digniſſima, hominis captum longe superantia. Legi merentur de hac materia uberius differentes R. P. Nat. Alex. (x), ac R. P. Wilh. Smits (y).

Mediis addectis etsi ad commonstrandam hujus vel illius saltim scripti existentis divinitatem non inepte utamur: vides nihilominus, me etiam non monente, ea non æque tuto adhiberi posse, cum de divinitate omnium S.S. librorum simul fuerit sermo: quo casu aliud erit requirendum, quod non ipsa S. Scriptura esse potest, ut per se patet: non privatus cujusvis spiritus, sibi neutiquam constans, contradictionibus scatens, non notæ Dordraci excogitatæ, seu quod liber vere divinus V. T. scriptus esse debeat a Propheta, in lingua S. seu hebræa, atque

(x) Hist. Eccl. V.T. edit. Bing. Tom. III. Diss. IX. & XI. (y) Gen. Vulg. Edit. Tom. I. cap. 2. & 3.

que ut talis habitus a Synagoga; cum eodem, quo adfirmantur, jure negari poſſint: ſed unicum, quod ſupereſt, convincens & infallibile medium ſubminiſtrat nobis concors Eccleſiæ veræ Romano-Catholicæ ſenſus in conciliis publice manifeſtatus; hanc enim unicam eſſe veram a Chriſto Domino fundatam Eccleſiam, ex notis ejusdem licet demonſtrare, cujus porro tribunal ut infallibile ſit in rebus fidem & mores concernentibus, adeoque & in libris divinis a non talibus discernendis, ipſa exigit divina bonitas ac providentia; adeoque & circulus, ut dici ſolet, vitioſus in demonſtrando non committitur. Confr. Doctiſſimus Herm. Goldhagen (z).

Not. 1. Teſtimonium Judæorum, ac Chriſtianorum ſupra adductum, nemini ſuſpectum videri, ac in propria cauſa dici poteſt; cum lite nondum mota, ante natos heri Theiſtas, tot, tamque diverſi homines in id genus teſtimonia veritate convicti conſpirarent, etſi gravia ſibi ipſis imponi onera ſentirent. 2. Dictis quoque non obſicit, quod plures antiquæ factorum Traditiones, licet ſcriptis ad nos transmiſſæ, hodie juxta ſaniorem criſin, convincantur falſitatis; num enim & adeo ſolemnes, univerſales, per tot ſæcula tam interruptæ, ac invariatæ, tamque acriter propugnatæ

(z) Introd. in S. Script. Part. I. pag. 131.

natæ fuere, ac eæ, de quibus modo sermo? vel si paritati ponderis quid inesset, nonne omnia monumenta historica pari saltim jure in dubium vocanda? 3. Sciendum, ex IV. Reg. XXII. & II. Par. XXXIV., ubi reperta casu fortuito lex Mosis ab Helcia Pont. in templo omnes in stuporem egit, tanquam res nova, minime sequi, legem Mosis antea fuisse incognitam; cum non Apographum, sed Autographum Mosis, probabilius Deuteronomium, olim in latere arcæ positum, repertum fuisse, historicæ suadeant circumstantiæ. 4. Quæ pro generali librorum divinorum interitu, incenso a Nabuchodonosore templo, proferuntur, ex IV. Esdræ XIV. desumpta sunt, cujus libri nulla est authoritas, utpote communi græcorum æque ac latinorum subfragio rejecti, erroribus, fabulisque pleni. Confr. Aug. Calmet. (a). Dictum librum secuti videntur P. P. Irenæus, Tertul., Clem. Alex., Euseb., Basil., & alii, eique æquo faciliorem præbuisse fidem; stant enim gravissima in contrarium momenta: α. quia nequaquam credibile, Jeremiæ, cui summa fuit libertas data, Tabernaculum, arcam fœderis, altare incensi abscondendi, defuisse obportunitatem vel unum ab incendio vindicandi codicem, aut eum tam socordem fuisse, ut id negligeret, aut a nemine sacerdotum aliquem tot e codicibus, queis ex officio instructi esse debebant, extra civitatem saltim fuisse servatum. β. Quia IV. Reg. XXV. item II. Par. XXV. Jerem. LII. recensentur singula, a Chaldæis exusta, & Babylonem

(a) Prol. Tom. I. Diss. in lib. IV. Esd.

lonem adportata: altum vero de codicum S.S. interitu ſilentium. γ. Quia teſte Joſepho (b) Cyro Regi monſtrata Iſaiæ prophetia fuit, qua ipſius nomen cap. 45. diſerte prodebatur, Cyrusque permotus fuit, ut Judæos captivitate ſolveret: evaſerat hæc ergo incendium; quidni & alii libri? 5. Neque ſub Antiocho I. Mach. 1. *Et libros legis Dei combuſſerunt igne* &c., periiſſe libros omnes ſacros, liquet inde, quia certe non deerant in Judæa latebræ, in quibus aliqui abſcondi potuiſſent; plures Judæi nequidem patriam & ditiones Antiochi, ſed alias terras, Ægyptum præcipue incolebant: & revera exemplaria quædam evaſiſſe Antiochi furorem, ſcriptor Lib. I. Mach. III. 48 indicat, de Judæis in Maspha congregatis ſcribens: *& expanderunt libros legis.* Et in Epiſt ad ſpartiatas C XII. 9. ait Jonathas: *habemus ſolatio ſanctos libros, qui ſunt in manibus noſtris.* 6. Exceptiones, queis contra miraculorum poſſibilitatem, aut veritatem utuntur Voltairius (c), Spinoſa (d), Rouſſeavius (e), item contra vaticinia citatus Spinoſa, enervatas legere licet in operibus Metaphyſicorum, & apud Cl. Th. Holzclau (f). Reſtat, ut de diviſione S.S. librorum nunc agatur.

§. IV.

Scriptura S. commode dividitur tripliciter: α. *Ratione temporis* in libros *Veteris*

(b) L. XI. ant. c. 1. (c) Philos. de l'Hiſt. & Dict. Phil. (d) Tract. Theol. polit. cap. 9. (e) Lettres de la Montagne. Lett. 3. pag. 15. (f) Inſt. Script. Tom. I. pag. 24. & ſeqq.

teris & Novi Testamenti, qua divisione a primordiis suis constanter usa est Ecclesia, eaque constat ex Novi præsertim Testamenti paginis (g). *β. A materia principaliore saltim aut potiore.* Divisione hac ab interpretibus invecta libri alii dicuntur *legales*, qui legum divinarum promulgationem nobis exhibent: in V. T. sunt quinque libri Mosis, a Judæis uno nomine, & αντονομαστικως *thora* (h) *Lex* adpellati: in N. T. libri quatuor Evangeliorum; alii *historici*, quibus certarum rerum gestarum memoria continetur: huc spectant ex V. T. *Josue*, *Judic.*, *Ruth*, *IV. Reg.*, *II. Paral.*, *II. Esdræ*, *Tob.*, *Judith*, *Esth.*, *Job*, *II. Machab.* ex N. T. *acta Apost.* alii *Sapientales*, seu *morales*, qui veræ sapientiæ, ac bene vivendi monita, præcepta, vel rationem proponunt: huc referuntur ex V. T. *Proverb. Eccles.*, *Cant.*, *Sap.*, & *Eccli*: ex N. T. *Epistolæ* 14. *S. Pauli*, *una S. Jacobi*, 2. *S. Petri*, 3. *S. Joannis*, & *una S. Judæ.* Alii demum *prophetici*, qui vaticinia, & futurorum præsagia complectuntur, suntque ex V. T. *Psalmi*, *Isaias*, *Jerem.*, *Baruch*, *Ezechiel*, *Daniel*, *Oseas*, *Joel*, *Amos*, *Abdias*, *Jonas*, *Michæas*, *Nahum*, *Habacuc*, *Sophonias*, *Aggæus*,

(g) Gal. IV. 22. Heb. VIII, 6, 7, & seqq. Math. XXVI. 28. (h) תורה

gæus, *Zacharias*, *Malachias*: ex N. T. *Apocalypſis*. γ. *Ratione authoritatis*, unde alii *canonici* adpellantur, qui nimirum non tantum *quoad ſe* ſunt, ut ſchola loquitur, ſed & *quoad nos* habentur ſacri, & Deo adflante conſcripti, quapropter & in Canone Eccleſiæ, de quo proxime, recenſentur: iſtorum tamen aliqui dicuntur *protocanonici*, qui nempe citra ullam controverſiam ſemper & ubique ceu divini recepti fuerunt; aliqui *deuterocanonici*, de quorum divinitate aliquando a quibusdam fuit dubitatum, antequam Eccleſia, re diligenter discuſſa, eos vere divinos declararet, ut ſunt ex V. T. *Baruch*, *Tobias*, *Judith*, *Sap.*, *Eccli*, *Mach. I. & II*, *Eſth. 7. poſtrema capita*, & *Danielis illa capita*, *quæ hymnum trium puerorum*, & *hiſtoriam Suſannæ*, *ac Draconis a Daniele interfecti ſiſtunt*: ex *N. T. Marci caput ult.*, *Luc. C. 18. hiſtoria de agone Chriſti*, *Joan. C. 8. hiſtoria adulteræ*, *Epiſt. ad heb.*, *Epiſt. Jacobi*, *2da Epiſt. Petri*, 2, & *3tia Joan.*, *Epiſt. Judæ*, & *Apocalypſis*. Alii *apocryphi*, gr. ἀπόκρυφοι, *abſconditi*, ii ſcilicet, qui vel ab Eccleſia ſunt omnino ac *poſitive* reprobati, tanquam minime a Deo inſpirati, ſive circa quos Eccleſia *negative* ſe habet, illos non adprobando.

Not. Quanquam totum, de quo ſupra, V. Teſtamentum, ſeu omnes libri divini ante

Christi adventum exarati *legis* nomine sæpissime veniant, ut ex Joan. XV. 25. X. 34. I. Cor. XIV. 21. intelligitur, ac generaliter, quoties T. V. ab Evangelio discernitur: reperitur nihilominus nomen *legis* contractius non raro adhiberi, ac T. V. in *legem* & *Prophetas*, ceu totidem partes secari: *Lex & Prophetæ usque ad Joannem* (i). *In his duobus mandatis universa lex pendet & Prophetæ* (k). Per legem in his locis scripta Mosis, per Prophetas ceteri V. T. libri intelliguntur; etsi & psalmos a Prophetis distinguat ipse Christus Luc. XXIV. 44. post resurrectionem suam loquens ad discipulos: *Quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & psalmis de me:* quo dicendi ordine insinuare voluit, quod, tametsi scriptura vetus omnis ipsum prænuntiet, legem tamen Mosis id facere parcius, aut magis occulte, Prophetas apertius & copiosius, psalmos vero uberrime. Sequuntur scitu necessaria de Canone.

V.

Κανων vox gr., latinis idem, ac *Regula*, hic pro indice, seu catalogo divinorum librorum sumitur, ac præcipue dispescitur in canonem *Hebræorum* & canonem *Christiano-Catholicorum*. Canon Hebræorum soluta captivitate, ut creditur, ab Esdra adornatus, ac propterea *Esdrinus* dictus, complectitur libros, juxta numerum

(i) Luc. XVI. 16. (k) Math. XXII. 40.

merum literarum Alphabeti hebraici, viginti duos: consul. S. Hieron. (l), qui & nomina librorum, modum computandi, atque rationem, cur is numerus quandoque ad XXVII. aut ad XXIV. excrescat, loc. cit. exponit. In dicto canone non comparent libri: *Baruch*, *Tob.*, *Judith*, *Sap.*, *Eccli*, *II. Mach.*, sive quod partim nondum essent scripti, ut *Eccli*, & *II. Mach.*, sive quod nondum detecti essent, ut alii, vel quia ex reverentia in canonem Esdrinum hos postea eidem inferere vererentur Judæi: eos autem omnes a Judæis Hellenistis ut divinos habitos fuisse, suaderi potest ex eo, quod fideles, qui a gentium sacris recedebant, ab Apostolis adceperunt Scripturam græce redditam, cujusmodi Alexandriæ, & in græcorum Synagogis legebatur, & Sapientiam, Ecclesiasticum, Tobiam, & Machabæorum libros Apostoli laudant haud aliter, quam ceteros Scripturæ libros. Canon Christiano Catholicorum primum in Conc. Trid. (m) ceu Regula fidei propositus est; cum certum Concilii generalis decretum ante istud produci nequeat, & a variis defendatur Florentinum finem habuisse an. 1439, quo Bulla Unionis

(l) Prol. Gal. (m) Sess. IV. Decret. de canon. Script.

græcorum obſignata eſt, Decretum vero pro Jacobinis, in quo Canon Biblicus continetur, obſignatum reperiatur 4. Feb. an. 1441. Comprehendit Trid. Canon libros univerſim LXXII, ex V. T. quidem XLV, ex N. T. XXVII. loc. cit. videndos. Hos eo ordine, quo in Bibliis occurrunt, memoriæ juvandæ ergo exhibent verſus ſequentes:

V. T.

Geneſis, Exo, Levi, Numerorum, Deuteronomi,
Joſue, judiciique liber, Ruth, bis duo Regum,
Bis Paralip, Esdræ bini, Tobiasque, Judithque,
Eſther, Job, Pſalmi, Proverbia, & Eccleſiaſtes,
Cantica, tum Sapiens, poſt Eccleſiaſticus adſit,
Iſaias, Jeremi, tum Baruch, Ezechielque,
Daniel, Oſee, Joel, Amos, Abdias, Jonas,
Michæas, Nahum, Habacuc quoque, cum Sophonia,
Aggæus, Zachari, Malachias, cum Machabæis.

N. T.

Mathæus, Marcus, Lucas, ſanctusque Joannes,
Actus, Roma, Corinthus, & ad Galatas, Epheſumque,
Deinde Philippenſes, Coloſſenſes, Theſſalonicæ,
Ad Timoth. geminæ, Titum una, Philemon, Hebræos,
Jacobi una, Petri binæ, ternæque Joannis,
Una Judæ, numerus concluditur Apocalypſi.

Ne vero quis exſiſtimet, ipſum hunc Canonem ſynodo Tridentina non eſſe an-

antiquiorem; ejus ſiquidem originem jure merito catholici cum prælaudati Concilii patribus ad prima referunt Eccleſiæ incunabula: Apoſtoli libros deuterocanonicos V. T. non ſecus, atque alios, prolatis inde ſententiis commendarunt; PP. & Scriptores Eccleſiaſtici a Sæc. II usque ad proxime elapſum pro ſingulis ſubfragium tulerunt, confr. Tourneminius (n). His adcedunt α. Decretum Conc. Carthag. III juxta calculum Labbæi an. 397, quo Pontifex erat Siricius, ſub Aurelio præſentibus 44 aut 48 Episcopis, quos inter & M. Aug. erat, celebrati; refertur autem illud (o) his verbis: *Item placuit, ut præter Scripturas canonicas nihil in Eccleſia legatur ſub nomine divinarum ſcripturarum. Sunt autem canonicæ ſcripturæ: Gen., Ex., Lev., Num., Deut., Jeſus Nave, Judic., Ruth, Regnorum libri 4, Paral. libri duo, Job, Pſalt. David., ſive Pſalmorum liber unus, Salom. libri 5, libri 12 Prophetarum min., item Is., Jerem., Ezechiel, Dan., Tob., Judith, Eſther, Esdræ libri duo, Machab. libri duo. N. autem T. Evang. libri 4, Acta Apoſt. liber unus, Pauli Apoſt. Epiſt. 13, ejusdem ad Hebr. una, Petri Ap. 2, Joannis Ap. 3, Judæ Ap. una, & Jacobi una, Apoc. Joannis liber unus.* Canonem hunc anti-

(n) Diſſ. de Canon. Lib. V. T. (o) Can. 47.

antiquiſſimum, Tridentino ſimillimum, non tum primo inventum, ſed traditione adceptum eſſe, diſerte adfirmant hujus Concilii Patres ſubjungentes: *a Patribus iſta adcepimus legenda.* β. Decretum Conc. Rom. 70. Episcoporum ſub Gelaſio S. P. an. 494 habiti, in quo iidem, qui in Carthag., recenſentur libri, hac una cum differentia, quod libri in varias claſſes ſint diſtributi, & nonnulla adjuncta aliter enuntiata E. g. *Pſalmorum* 150 *liber unus. Salomonis libri* 3, *Prov., Eccleſiaſtes, & Cantica Cant., Sapientiæ liber unus, Eccleſiaſticus liber unus. Esdræ liber unus* pro *libri duo* &c. γ. Teſtimonium Innocentii I. S. P. (p) de an. 405, quo rurſus iidem, qui in Carth. & Trid., enumerantur libri, ac in fine ſubditur: *Cetera autem... non ſolum repudianda, verum etiam noveris eſſe damnanda.* δ. S. Aug. (q), qui poſitis prius regulis discernendi ſcripturas Canonicas, eosdem pariter libros, cum inſertis quibusdam animadverſionibus de librorum SS. argumentis, vel authoribus recenſens, ſubjungit: *In his omnibus libris timentes Deum, & pietate manſueti quærunt voluntatem Dei.* ε. Decretum Eugenii IV. in Conc. Flor., de quo ſupra,

(p) In Epiſt. ad Exup. Ep. Tolos. c. 7. (q) L. 2. de Doct. Chriſt. c. 8.

ſupra, in quo itidem iidem libri eodem numero, iisdemque nominibus referuntur. ζ. Decretum Conc. Trid. confirmat etiam ſubfragium Eccleſiæ græcæ, etſi nunc ſchismaticæ; hæc enim a Proteſtantibus ad concordiam ſecum ineundam invitata, in Synodo Hieroſolymitana ſub Doſitheo Patriarcha an. 1672, ſolemniter de SS. libris in Trid. enumeratis profeſſa eſt: *Hos omnes judicamus eſſe canonicos, & S. Scripturam confitemur, quoniam eos tradidit antiqua conſuetudo, ſeu magis Eccleſia Catholica.* En momenta pro antiquitate Canonis Chriſtiano-Catholicorum!

Not. 1. Dictis non obſtant α. Canon inter apoſtolicos 84, qui libros *Tobiæ, Judith, Eccleſiaſtici* omittit; hos ſiquidem canones numero 84 vel 85, ſi non omnes, ſaltim posteriores 35, peritorum omnium judicio apocryphos eſſe, conſtat; cum nunquam ab Eccleſia Romana ſint recepti, nec SS. Patres, ut inquit S. Iſidorus Hiſp. (r) illis adſenſum præbuerint: ſpecialiter vero authoritatem citati canonis infringit, quod & *tres libros Machabæorum* admittat, & *Clementis Epiſtolas duas, & ordinationes* divinis libris adnumeret: unde etiam in decreto Conc. Rom. ſub Gelaſio: *Liber Canonum Apoſtolorum apocryphus.* β. Catalogus SS. librorum a Melitone Sardenſi Episcopo, qui floruit altero Eccleſiæ ſæculo labente, evulgatus, in quo libri in

(r) Diſt. 16. c. 1.

in Canone Esdrino non contenti sunt omissi; Sardensis enim Episcopus ille, etsi Eusebio teste (s) laude ob plurimos doctissimosque libros inclytus, & maximè ab apologia M. Aurelio Imp. pro Christianis oblata nomen in oriente aliquod consecutus, graves tamen in errores prolapsus esse, multis, Origenis præcipue, ac Theodoreti auctoritate ductis, videtur: quæ vero fides hic loci speciatim Melitoni sit adhibenda, claret inde, quod novo intemperantis criticæ errore, integrum Estheris librum, Canoni Esdrino certe insertum, prætermiserit, utque 22 librorum numerum compleret, a libro *Judicum* separaverit *Ruth*, quem Judæi ei adjiciunt; neque demum diffitetur ipse Melito, indicem suum *ab Asiaticarum Ecclesiarum Traditione discrepantem esse.* γ. Synopsis Athanasiana Canoni Melitonis persimilis; eam enim non S. Athanasii, sed Authoris Pseudonymi VI sæculi fætum esse, adfirmant critici eruditiores: & sane S. Athanasius ipsos eos libros, in Canone Esdrino non comparentes, ceu Scripturam S. est reveritus. Consul. ejusdem *Orat.* 1, 2, *&* 4 *cont. Arianos*, *&* *Apol.* 2. δ. Judicium antiquorum Orientis Patrum, libros Canonis Esdrini ceteris firmiores esse, palam profitentium; suis enim dictis non abnegare voluerunt ceteris libris authoritatem divinam: sed, quia priores apud omnes authoritatis essent indubiæ, eos aptiores esse ad convincendos Judæos, & Hæreticos, declarabant. Et nonne Origenes (t) libros *Tobiæ*,

(s) L. 4. Hist. c. 2. (t) Hom. 27. in Numeros.

biæ, *Judith*, & *Machabæorum* (u) ut partem S. Scripturæ adlegat? annon S. Greg. Naz. (w) de libris in Canone Esdrino non contentis palam profitetur: *Ad priores proxime posteriores adcedunt*, laudans insuper (x) librum *Sapientiæ*, & (y) *Ecclesiasticum*, ceu partem scripturarum? Nonne S. Epiphanius (z) Ss. libros ad Judæorum canonem recensens, monet, se loqui juxta Judæorum sententiam, eosque tantum recenseri libros, qui usque ad reditum e captivitate Babylonica erant scripti; Judæos quoque ipsos subdubitare, num *Sapientia*, *Ecclesiasticus*, ceterique, quos *apocryphos* nominabant, minore, quam canonici, valerent authoritate, atque demum, omnes dictante Deo fuisse scriptos, adfirmat? c. Conc. Laodic. juxta *Caranza* an. 364, juxta alios an. 367 Pont. Liberio habitum, quod (a) *Tobiam*, *Judith*, *Sapientiam*, *Ecclesiasticum* omittit; inprimis enim Conc. hoc tantum Provinciale fuit, scilicet Phrygiæ Pacatianæ, sapienterque libros, quos ob Melitonis canonem nondum omnibus omnino probari noverat, reticuit; dein canon dictus suspectæ & græcæ fidei esse, pluribus videtur, quia abest in versione hujus Concilii latina Dionysii Exigui: reperitur quidem in versione arabica, sed & libri in Exemplari græco omissi ibi reperiuntur. Demum non favet Heterodoxis, cum in eo catalogo liber *Baruch*, *Ep. ad Heb.*, *Jacobi*, *& Judæ* recenseantur. Not.

(u) L. 2. Princip. c. 1. (w) In Carm. ad Seleuc. (x) Serm. 2. Theol. (y) Serm. 31. (z) Sect. 6. Hær. Jud. (a) Can. 60.

Not. 2. Ex eo, quod Canoni Conc. Carth. ſuperius adducto additum legatur: *Hoc etiam fratri & conſacerdoti noſtro Bonifacio, vel aliis earum partium Epiſcopis innotescat,* male infertur, eum ſubpoſititium eſſe, cum eo tempore non Bonifacius, ſed Siricius ad clavum Eccleſiæ ſederit: male, inquam; cum ibidem non Bonifacius hujus nominis S. P., ſed Epiſcopus denotetur, id quod innuunt voces: *vel aliis* &c., tum canon immediate ſequens, expreſſam Siricii mentionem faciens. — Omittitur præterea in dicto canone liber *Baruch*, uti & in decreto Conc. Rom. ſub Gelaſio, in quo inſuper unus tantum refertur liber Esdræ, & Machabæorum; quia inprimis, monente S. Aug. (b) Baruch prioribus ſæculis ſub Jeremiæ nomine, cujus amanuenſis fuit, a veteribus citatus eſt; quod comprobant loca ex Baruch adlegata apud S. Cyprianum (c), Clem. Alex. (d), & Ambros. (e). Unus tantum Esdræ, & Machabæorum (adnotante Harduino in antiquiſſimis hujus Conc. manuscriptis duo Esdræ & Machabæorum leguntur) commemoratus eſt; quia eadem fere utrinque tractatur hiſtoria. Et quis prudens credat, Gelaſium Innocentio I, conſtantique Romanæ Eccleſiæ uſui contradicere voluiſſe?

Not. 3. Inanis eſt conatus Cl. D. Pfaffii, authoritatem Epiſtolæ Innocentii I. propterea in dubium vocantis, quod vidiſſet a Coſino Anglo

(b) L. 18. de civ. c. 33. (c) Teſtim. L. 2. c. 6. (d) Pædag. L. 1. c. 10, & L. 2. c. 2. (e) Serm. 18. in ps. 118.

Anglo id præſtitum fuiſſe; cui enim, an Coſino Anglo longe ab Urbe diſtante, & an. 1685 fatis functo, an Dionyſio Exiguo, nonniſi uno ſæculo ab Innocentio I. remoto, & poſt luſtratas Romani Archivi tabulas, de hujus epiſtolæ authentia plena fide teſtanti, potior fides eſt habenda?

PARS II.

Fontes, & Verſiones S. Scripturæ.

I.

Fontium nomine veniunt non modo Autographa, ſeu Originalia ab ipſis Viris Hagiographis propria manu adornata: ſed & Apographa, ſeu Exemplaria, quæ ea in lingua, qua ſcripta fuerunt autographa, S. Textum nobis ſiſtunt. Cum vero idioma, ſeu lingua originalium e tempore, quo prodierunt primitus, non raro dignoscatur; juvat meminiſſe, primævam generis humani linguam fuiſſe *Hebræam*, quæ vel ab Abraham, qui Gen. XIV. *ibhri* (f) *Tranſitor* transmiſſo Euphrate a Chananæis dictus eſt, ut cum non paucis V.V. æque, ac R.R. veroſimilius videtur Cl. Herm. Goldhagen (g); vel ab *Heber* (h) *filio Sale*, *Patre*

(f) עברי (g) Introd. in S. Script. P. I. Sect. 2. q. 1. pag. 228. (h) עבר